

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§V.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

lofophicae tantum uelitationes, sed graues omnino et perniciosissimi. Ipsum enim fidei fundamentum ex imo concutiebant et locomouebant; fidei in Christum unicum mundi Seruatorem constituendae et conseruandae fundamentum subruerunt, alio in locum eius iacto sterquilinio, propriorum nempe meritorum, partim puerilium et ineptorum, partim in ipsum Deum eiusque Christum iniuriorum. Testes non allegabo probos et doctos ex omni aetate et gente uiros, in hunc desperatum ecclesiae statum inuehentes, quos FLACIUS cum aliis magno numero dat. Publicos tantum huius ueritatis testes allegabo, a XVI. seculi anno XVII. usque ad XXX. illustres et praecipuos: Pontificis ADRIANI VIIIMI FRANC. CHEREGATO ad Comitata Imperii anno XXIII. *Norimbergae* habita, datam instructionem. [uid. COELESTINVS l. c. p. 4. col. B. *Illustris A SECKENDORF Comm. de Lutheranism* p. 255. et B. I. C. FVNCKII *Reformations-Historie* p. 119. seqq.] Illustriss. Germanici Imperii Procerum centum et unum de Religione grauamina eidem *Papae legato*, et iam ante anno XXI. CAROLO oblata, in *Wormatiens.* comitiis. [uid. Ill. A SECKENDORF l. c. maxime ELIAE FRICKII *V. D. apud Ulmensis Ministri et in Gymn. Theol. Professoris Praefatio in hunc librum a se uersum et auctum*, et I. C. FVNCKII *Reform. Historie* p. 17. 21. 121. coll. 133. 182.] MERCVRINI CATTINARI Orationem *Bononiae* ad CLEMENTEM VIIIMUM anno XXIX. nomine Caesaris recitatam. [COELESTINVS l. c. p. 11. 12. collata sententia illorum, quos Augustissimus CAESAR antea de religione in consilium uocauit p. 7. column. B.] ipsum denique CAROLI VII sermonem ibi habitum. [CHYTRAEVS l. c. p. 16. 19. COELESTINVS p. 14. 15.]

§. V.

Confessores itaque nostri schisma non fecerunt, cum fœra repurganda fusciperent, nihil enim aut noui aut iniusti hac in re tentarunt; sed et attendas uelim quam prudenter, quam aequè,

aeque, quam moderate cum Romana Curia egerint et Ecclesia; omne negotium non definiendi sed disputandi tantum gratia inceptum, ad Romanum praefulem detulerunt, caussaeque cognitionem, et super ea iudicium implorarunt; *Romanam Ecclesiam* se colere profesi sunt, illi, germanicisque praesertim Academiis totam caussam suam submiserunt, durius dicta reuocatuos, maioremque in posterum modestiam adhibituos esse, polliciti fuerunt. Sed quid ad haec Pontifex cum purpuratis suis? unice et tantum instabant ut reuocarent, Scripturam S. uel plane non in consilium uocabant, uel misere eam interpretabantur; conciliorum recentiorum Constantiensis maxime, Pontificum et Scholasticorum doctorum, canones, et decreta, et sententias crepabant. Cui irrationali iuxta ac tyrannico procedendi modo, cum nostri salua Dei gloria, saluteque sua sese submittere nollent, LUTHERVS cum sociis suis, instigantibus furiis papalibus, edito CAESARIS et *quorundam Imperii Statuum*, sub finem Comitiorum *Wormatiensium* proferbitur, et repetita LEONIS bulla excommunicatur.

§. VI.

Caesari uel tandem naturae bonitate & clementia, rei ipsius grauitate & necessitate, precibusque instantissimis subinde repetitis ad concilium de religionis negotio celebrandum compulso; CLEMENS VII mus obstinate restitit; [*rationibus uicario Christi summoque controuersiarum iudice indignissimis nixus, quas lege ap. COELESTINVM p. 13. seq. & CHYTRAEVM p. 11-15.*] Sed italas PAPAE artes quas tum moliebatur, germana CAROLI indoles abhorrens, litteris *Augustam Vind.* Imperii conuentum indicit, ubi interea temporis usque dum Concilium congregaretur, etiam de dissensionibus in causa religionis dispicere iubet. [*uid. COELESTINVS l.c. p. 15. B.*] in Ecclesia duo tum temporis hominum erant genera, unum emendari cupiebat abusus & corruptelas,